

confirmat ex discrimine honorum et peccatorum. Sensus est, *g. d.* Hoc est discrimen inter sapientem sive bonum, et insipientem sive peccatorem, quod Deus sapienti, qui in conspectu suo bonus est, hoc est, qui Deo placet et acceptus est, det sapientiam cognoscendi veritatem, scilicet verum minuscujsque hominis bonum solum esse in Deo, Deique cognitione, amore et cultu; et scientiam, qua prudenter opes congreget, easque dispenset ex legis Dei præscepto ad suam surque familiae sustentationem, et quod superest subventioni egeporum impendat; indeque lætiam, quod veritatis, id est Deo inmixtus vanas opes parvipendat, easque rite distribuat ad usus honestos quibus sibi Dei gratiam et gloriam conciliat. Unde Chalcæus verit, *deditque ei lætiam cum justis in futuro seculo; peccatori autem Deus dedit afflictionem et curam*, ut laboriose et anxie coarcevet opes, easque deinde reliquit heredi, non quem ipse mente destinavit, sed ei qui placuit Deo, quem scilicet Deus designavit, qualis est pauper vel justus aliquis liberalis, qui eas in pauperes vel opera pia expendit. Symmachus verit, *ut dentur illi qui placuerit Deo, juxta illud Proverb. cap. xiii, 22: « Bonus relinquit heredes filios et nepotes, et custoditur justo substantia peccatoris; »* vel, ut legit S. Augustinus, *epist. 50: « Thesaurizantur justis divitiæ peccatorum. »* Et *Job, cap. xxvii, 16: « Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum preparaverit vestimenta; præparabit quidem, sed justus vestietur illis, et argentum innocens dividet. »*

Nota primo, quod dicitur, *bonus in conspectu suo*, Albinus *æ suo* refert ad ipsum hominem bonum, quasi dicat: Homo qui sibi ipsi in conscientia videtur bonus et probus. Verum *æ suo* refert Deum, qui sequitur. Jam « bonus in conspectu Dei » per Hebraicum idem est quod placens Deo, gratus oculis Dei. Potest autem quis gratus esse Deo multis nominibus, et ob varias dotes tum naturæ, tum gratiæ; ob dotes naturæ possunt etiam peccatores placere Deo: ob dotes gratiæ soli justis, qui proprie dicuntur grati esse Deo, illique placere velut ejus amici, filii et heredes. Et sic hic accipitur. Opponitur enim peccatori, quamquam per peccatorem proprie hic intelligitur avarus, ac consequenter per bonum in conspectu Dei, liberalis, ut *Psal. cxvii, 2: « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. »*

Nota secundo: Pro lætitia, quam inliti sibi placenti et grato Deus, peccatori dat afflictionem et curam, id est laborem, sollicitudinem, molestiam, difficultatem coarcestrandis opes. Hæc afflictio partim est pena, et hæc ratione positive a Deo immittitur peccatori, ut illa reu flagello ejus peccata præsertim avaritiæ castiget, eumque ad bonam solertia quaerenda impellat et adigat, ait Olympiorus: partim est culpa, quatenus ab avaritia proficiscitur, ejusque est affectus et actus, et sic

non positive, sed permissiva a Deo infligitur peccatori. Deus enim peccatum minus peccato majore castigat, permittit ut peccator in peccatum præcedentium peccatorum labatur in avaritiam tantam, quas illi mille curas, angores et dolores conciliat. Igitur sicut sapientia, virtus et liberalitas parit mentis lætiam, et conscientie de bonis operibus exsultantis mirificum gaudium: sic insipientia, vitium et avaritia parit mentis angores, dolores et sollicitudines. Vere Seneca, *epist. 23: « Hujus (bonæ mentis) fundamentum hoc esse dixi; etiam culmen est. »*

Nota tertio: Hæc gnome significat quid sepe fiat a Deo, non quid semper: nam subinde vice versa Deus justos ad incrementum patientiæ et meriti sinit paupertate affligi, ut omni suo labore et cura vix sumptus ad attendam familiam necessariis parare possint; impii vero dat copiam opum ultra et sine labore, qui proinde illis lætantur et epulantur, ut non raro fecit in Novo Testamento: in Veteri enim fere faciebant contarium. Judeis enim promiserat copiam rerum temporalium, si sibi fideliter servirent. Unde exempla hujus sententiæ sunt in Hebræis, qui deo Mose exeuntes ex Aegypto, a Deo obtinuerunt opes et spolia Aegyptiorum, *Exodi cap. xii, 36*. Idem, dicit Josue, expugnantes Chanaanos eorum divitias possederunt, ut patet ex libro Josue, etc. Sic David possedit bona avari et stulti Nabal, dicens ejus uxorem Abigail, *I Reg. xxv, 42*; item opes Syrorum, Ammonitarum, *I Reg. x et xi*; ac Moabitarum, *II Reg. viii, 4 et 11*. Sic opes congestas a Diocletiano et Maximiano juratis hostibus christianorum, obtinuit Constantinus Magnus, qui ex eis basilicas et templa plurima christianis magnificentissime exædificavit. Idem hodie sepe fieri videmus. Sane hereticorum opes perperus Deus ad christianos, imo ad religiosos derivavit. Ita ex hereticorum bonis crevit plura collegia Societatis Jesu, quæ heresim convolverent, et hereticos ad fidem orthodoxam converterent. Tale est collegium Augustæ Vindelicorum a Fuggeris, quorum nonnulli tum Lutherani erant, erectum: tale quoque est collegium Gandavense in Belgio, ubi natus fuit Carolus V, et alia plura.

SED ET HOC VANITAS EST, ET CASSA SOLLICITUDO MENTIS. — Loquitur de peccatore et avaro, cui Deus dedit afflictionem et curam superfluam: nam bono et liberali dedit sapientiam et lætiam, ut paulo ante dixit. Minus recte ergo Cajetanus idipsum ad bonum et liberalem extendit, qui fruitur opibus labore suo partis. Licet enim, inquit ipse, sit hoc donum Dei, tamen *vanitas* vocatur, quia res modica est citoque evanescent. Minus apte quoque Hugo Victorinus idipsum dilatat « ad vanitatem et cassam sollicitudinem justis, requirentis divitias peccatoris, aut illas concupiscentis, et si acceperit, cor apponens. » Pro *cassa sollicitudo mentis*, ex Hebræo veritas, *passio ventis, g. d.* Opes et res omnes terrenæ non magis

repient mentem, quam ventus satiet famem. Audi S. Bernardum *De diligendo Deo: « Justitia rationis utilis spiritus, cibus est vitalis et naturalis; pecunia vero (et idem de aliis bonis diceret) sic non replet vel minuit animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique, si famelicum hominem aperis foveibus vento inflatis haurire buccis ae-*

rem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris insanie est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari quam sarari. Quid namque de corporalibus ad spiritualia? Nec illi sane spiritualibus, nec isti e regione refici corporalibus queunt. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ostendit vanitatem rerum ex tempore, cui omnes subiacent. Primo, ex eo quod singula cum tempore transceant ac suas subeant vias et vicissitudines, idque multis exemplis per antithetorum combinationes demonstrat. Secundo, vers. 14, ex eo quod tempus, et res temporales comparatæ Deo, Deique operibus, utpote constantibus et perpetuis, sint vanæ et instabiles, fluidæ et caducæ. Tertio, vers. 16, quod tempus omnia mutans subinde inducat tyrannides et tyrannos, sub quibus regnant scelera et scelerali, assignantur et exulant virtutes, ac virtute præditi. Quarto, vers. 18, quod tempus hominibus adducat mortem, et interitum similes bestis.

1. Omnia tempus habent, et suis spatibus transeunt universa sub celo. 2. Tempus nascendi, et tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est. 3. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus destruendi, et tempus ædificandi. 4. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi, et tempus saltandi. 5. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. 6. Tempus acquirendi, et tempus perdendi. Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi. 7. Tempus scindendi, et tempus consuendi. Tempus tacendi, et tempus loquendi. 8. Tempus dilectionis, et tempus odii. Tempus belli, et tempus pacis. 9. Quid habet amplius homo de labore suo? 10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. 11. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. 12. Et cognovi quod non esset melius nisi latari, et facere bene in vita sua. 13. Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. 14. Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere, nec auferre quæ fecit Deus, ut timeatur. 15. Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura sunt, jam fuerunt: et Deus instaurat quod abiit. 16. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem. 17. Et dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. 18. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis. 19. Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subiacent vanitati, 20. et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. 21. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum. 22. Et deprehendi nihil esse melius, quam latari hominem in opere suo et hæc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?

1. OMNIA TEMPUS HABENT, ET SUI SPATIBUS TRANSEUNT UNIVERSA SUB COELO. — Pro tempus hebraico est *127 roman*, id est tempus statutum, sive consti-

tutum. Hebræa ergo sic habent, *omni rei est tempus constitutum, et tempus omni voluntati* (id est omni volito, sive omni rei quam quisque optat

rit et voluerit) sub celo; Septuaginta, omnibus tempus est et *καιρος*, id est *opportunitas*, omni rei sub celo: *ἔστιν ἡ καιρὸς ἡμῶν* rei est tempus, et tempus omni negotio sub sole; Arabicus, omni tempori et omni rei sub sole est tempus; Chaldaeus, omni viro venit tempus, et hora omni negotio sub sole; alii, cuique rei suum est praesentium tempus, limitatum et determinatum; Campensis, vicissitudo est suis spatiis, neque quidquam sub sole est stabile; Symmachus, omni rei est hora, et omnia ministerii et negotii est tempus; Thaumaturgus, per hoc tempus omnia contraria contingunt; alii, omnibus est tempus et suam opportunitatem habet quaecumque res sub celo.

Nota et transeunt: tempus enim consistit in continua successione et transitu. «Tempus» enim, ut ait Aristoteles, «est mensura (mensura) motus secundum prius et posterius.» Sicut ergo motus consistit in continua agitatione et successione, dum pars posterior assidue succedit priori, eamque protrudit et extrudit: sic et tempus, quod non est aliud quam proprietates et mensura motus. Hinc collige quam parum vere essentiae et existentiae habeat tempus, neque ac motus, atque res omnes, quae motui et tempori subjacent. Tempus enim praeteritum non est, sed praeteritum; futurum non est, sed erit: solum praesens est et existit praesens autem est duntaxat unum indivisibile nunc, id est unum instans temporis. Unde apte dixit ille, hominem et res temporales vere non existere ullo tempore, sed tantum in uno nunc, sive in uno instanti temporis. Porro Varro, lib. V *De Lingua Latina*: «Tempus, ait, esse dicunt intervallum mundi et motus. Id divisum in partes aliquot maxime ab solis et lunae cursu. Itaque ab eorum tenore temperato tempus dicitur: unde tempestiva; et a motu eorum, qui toto celo conjunctus Deo mundus casu venit, a quo tempus id ab hoc Deo, dies appellatur.» Hucusque Varro.

Cur hic temporis antitheta sit? Resp. primo.

Quaeres, cur Salomon tam fuse agit de tempore, ejusque tam varias actiones et epitheta per quatuordecim antitheta assignat? Respondeo primo, ut omnium rerum vanitatem evincat ex tempore, cum quo, ut ait hoc versu et vers. 9, omnia transeunt et evanescent, idque ex decreto Dei; quia Deus praefinitur rebus singulis tempus, quo oriantur, durent, occidant. Decevit enim cuique tempus, quo existat, quando et quantum durare debeat: hanc enim statam periodum temporis cuiusque rei significat hebraeus *zeman*, quod noster verit *tempus*. Unde Lyranus censet haec dici (imo toto hoc capite non aliud doceri), ut liquet felicitatem non esse ponendam in longevitate; nec eam esse appetendam, eo quod certa periodus durationis a natura, sive a Deo auctore naturae, cuique rei sit praestituta, inter quas est periodus vite humanae, qua debet homo esse contentus, sicut et caetera periodo sibi a Deo data.

Secundo.

Secundo, ex definita et praesentia a Deo rerum

periodo, sive ex vicissitudine et successione contrarii, quod rebus singulis quolibet versu oppositi, ostendit instabilitatem, mobilitatem et circulationem rerum omnium, scilicet omnia volvi cum sole, et in orbem ire cum tempore. Dicitur sub celo, ait S. Hieronymus, quia caetera «substantiae spirituales nec sub celo, nec tempore continentur,» quales sunt angeli. Unde non habent contraria, quae eas mutant vel interminant, ut habent homines et res omnes sublinares, quae elementis contrariis et inter se pugnantibus constant, ideoque variant, mutantur et occidunt. Ex paucis autem hisce exemplis quae assignat, similiter antithesim temporis in rebus et actionibus omnibus cullibet faciendam et assignandam relinquat. Est enim inductio imperfecta.

Tertio, innuit vanas esse et praeposteras hominum curas, qui, cum singulis rebus tempus et opportunitas, ut vertunt Septuaginta, praefinita sit a Deo et natura, prudenter expectanda vel patienter ferenda sit, ipsimet sua industria et sollicitudine nimia, illam praefinitam, invertere vel antevertere volunt, qua in re frustra stulto, casosoque et irrita conatu laborant.

Quarto, Tertullianus, lib. *De Virginitate velandis*, cap. 1, per tempus accipit gradus temporum, quibus tum natura in qualibet re, tum gratia in homine ad perfectionem provehitur: «Nihil, inquit, sine etate est, omnia tempus expectant. Denique Ecclesiastes: Tempus, inquit, omni rei. Adspice ipsam creaturam paulatim ad fructum adpromoveri. Granum est primo, et de grano frutex oritur, et de frutice arbutuscula emittitur. Deinde rami et frondes invalescent, et totum arboris nomen expanditur. Inde germinis tunc, et flos de germine solvitur, et de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiu et informis, paulatim etatem suam dirigens, eruditur in mansuetudinem saporis. Sic et justitia (nam idem Deus justitiae et creaturae) primo fuit in rudimentis natura Deum metuens: dehinc per legem et Prophetas promovit infantiam: dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem. Nunc per Paraclitum componitur in maturitatem.»

Denique, ex tempore semper transeunte, circulante et evanescente, evidenti demonstratione concludit omnes res, temporibus subjectas, cum eo transire, gyrate et evanescere. In rebus enim temporalibus dominatur et regnat tempus. Hinc Varro, lib. IV *De Lingua Latina*, ex Pythagora quatuor statuit rerum principia, scilicet corpus, locum, afflictionem et tempus: «Duo enim sunt, inquit, rerum exordia: status et motus; quod stat aut agitatur, est corpus; ubi agitatur, est locus; quod est in agitato, est actio. Corpus est ut cursor; locus, stadium; qua currit, tempus; actio, cursus. Quare fit ut omnia sint quadripartita et aeterna: nam neque unquam fuit tempus, quin fuerit motus (ejus enim intervallum est tempus); neque motus, ubi non est locus et corpus (quod alter-

est quod movetur, alterum ubi); neque agitatus ubi non sit actio. Igitur initiorum quadrigae, locus, corpus, tempus et actio.» Hucusque Varro.

Hac facit disceptatio septem Graeciae Sapientum, quam recitat Plutarchus in eorum Convivio. Cum enim Aesopus, rogatus «quid esset antiquissimum?» respondisset: «Tempus. Quid maximum? mundus. Quid sapientissimum? veritas. Quid pulcherrimum? lux. Quid communissimum? mors. Quid utilissimum? Deus. Quid damnosissimum? Genius. Quid robustissimum? fortuna. Quid facilissimum? quod suave est.» Thales, nonnulla corrigens et transponens, ita ad singula respondit: «Quid est antiquissimum? Deus; ortu enim caret. Quid maximum? locus; reliqua enim mundus continet, ab hoc confinetur. Quid pulcherrimum? mundus; omnes enim ejus partes ordine apte sunt. Quid sapientissimum? tempus; id enim alia invenit, reliqua invenit. Quid communissimum? spes; quibus enim reliqua omnia desunt, haec adest. Quid utilissimum? virtus; haec enim reliqua etiam recte utendo utilia facit. Quid damnosissimum? animi vitium; hujus enim praesentia plurima bona corrumpuntur. Quid validissimum? necessitas, ea enim sola est insuperabilis. Quid scillimum? quod est naturae consentaneum: nam voluptates etiam sunt quae sepe numero resparant. Cum Thaletis dicta omnes approbassent, Cleodemus: Hujusmodi, inquit, Niloxene, quaestiones proponere et solvere regibus convenit.»

Temporis hieroglyphicum stellae.

Hinc Aegyptii, et veteres mythologi ac philosophi mystici, haec dabant temporis hieroglyphica et symbola: Stella est temporis hieroglyphicum, quia nihil in mundo toto statam temporis legem observat, quam stellae et caeli, quae cum semper moveantur, eodem semper temporis intervallo certisque periodis eo redeunt, unde moveri ceperant. Ita Pierius, *hierogl.* lvi, pag. 536.

Populus arbor.

Per populum quoque arborem tempus indicabant, quod arbor ab bicoloribus sit foliis praedita, quibus praecipuas ipsius temporis partes, scilicet diem et noctem representant. Ita Pierius, *hierogl.* lvi, pag. 505.

Fals.

Falsam etiam attributam Saturno, cui tempora subjiciuntur, ad significandum tempus nonnulli volunt, quod tempus omnia metit, exsecatque et auferit. Ita Pierius, *hieroglyph.* lvi, pag. 536. Apposite Phocylides:

Temporibus semper cautus servare memento,
Nec restare velis adversum flamma veni.

Reps.

Rursum Aegyptii temporis revolutionem significabant per serpentem convolutum, et ore caudam apprehendentem. Audi Claudianum, lib. II *Stilicon.*

Est ignota proci, nostraeque impervia menti,
Vix adunda deis, sanorum aequalia mater,
Immensi splendet aevi, quae tempora vasto
Suppetat, revocatae sicut: complectitur antrum,

Omnia qui placido consumit nomine, serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque cedat
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.

Et mox:

Scribit jura senex, numeros qui dividit astris,
Et cursus stabilesque mors, quibus omnia vivunt,
Ac pereunt, fixis tum legibus ille recenset.

Porro prisci notabant inversores temporum velut vite praeposterae actores et duces. Ita notant Hellogabalum, qui trajecit dierum actus noctibus, et nocturnos diebus, astimans hoc inter instrumenta luxuriae, ita ut sero de somno surgeret, et salutaris inciperet, mane autem dormire. Ita Lampridius in ejus Vita. Seneca, *epistol.* 12 «Sunt, ait, qui officia lucis noctisque pervertunt. Talis horum contraria omnibus non regio sed vita est. Sunt quidam in urbe antipodes, qui ut ait M. Cato, nec orientem unquam solem vident, nec occidentem.» Et inferius in quendam Lucifugam, qui sub noctem expergisebatur, diu huc ibat cubitum, illa acule et vase joculari, ut dicat eum admodum frugaliter vivere, quippe qui nihil insumeret nisi noctem. Et quibusdam illum sordidum et avarum dicentibus: «Vos, inquit, et Ichnobium dicitis.» Est autem haec vox ambigua, significans eum usque adeo non esse avarum, ut etiam lucernas absumeret, vel adeo parcum ut lucernas vicitaret. Pericles Tolmidem belli duce, alieno tempore molientem incursionem in Beotiam, retinere tentavit dicens: Si non crederet Pericli, at non erratum tamen, si prudentissimum consilium operiretur tempus. Verum Tolmidem, respiciens sanum consilium, temeritatem luit strage exercitus et sui caede. Ita Plutarchus in *Pericla*.

Praefectus Adriani Imperatoris nomine Similis, praefecture renuntians, septem annos sibi vixit; unde hoc epitaphium suo sepulchro incidi jussit: «Illic situs est Similis, qui multos annos egit, septem autem vixit.» Ita Xiphilinus in *Adriano*. Tropologie, hic discit quantum sit pretium temporis tam cito transeuntis et avolantis, quantaeque ejus habenda sit cura. A tempore enim hoc modico et fugaci pendet aeterna nostra salus vel perditio, juxta illud: «Momentum unde pendet aeternitas.» Deus enim ab aeterna quiete suum praestitit tempus, imo annum, horam et diem, v. g. ut saeculo primo, tali anno, mense, die et hora nasceretur, ac post totos annos tali die et hora moriatur S. Petrus, S. Paulus, Nero, Vespasianus, Domitianus; saeculo secundo, S. Ignatius, S. Dionysius, S. Polycarpus, Trajanus, Adrianus, Antoninus; saeculo tertio, Constantinus, Constantinus, Diocletianus, Maximianus, etc. Sic cuique hominum praefixit certum saeculum, certum annum, certam diem, quae nasciturus, victurus et moriturus est. Ut ergo, o homo, si sapias, tempore tibi a Deo praestituto et admeno: aliud enim non habebis ex omnibus

qui natus es in mundo, tibi moriendum esse et exundum de mundo; para te ergo, et virtutum opera compara, quae post mortem iudici Christo offeras, ut propter ea ab illo caelo adjudicari, non vero ad gehennam damnari merearis. Hoc ut inueneret Moses Genesi, id est ortu rerum, subiuncti Exodum, id est exitum et oceanum, ait Nyssenens et Olympiodorus. Igitur Salomon haec dicit eo fine: « Ut temporariae vite nos admo- neat, » ait Olympiodorus; ut mentione mortis ve- lut quodam stimulo eos expergeficiat, qui in carnalis vite profundum sunt immergi, et ad curam futurorum excitet, » ait Nyssenens. Rorsum nativitate subiungit mortem, quasi nullum sit tempus vivendi medium, ut inuauat mox a nativitate hominem tendere ad mortem, et incipere mori, iuxta illud: « Nos nati continuo desivimus esse, Sapient. cap. v, 13, quia quot horis iam nati vivimus, totidem quasi passibus pergitur ad mor- tem. Ita a nascendo morimur, moriendo vivimus omnes. » Quid est vita? assiduus cursus ad mor- tem. Quid mors? transitus ad immortalitatem.

Tropologie S. Hieronymus: Spiritualiter renas- cimus, ait, per timorem, iuxta illud *Isaie* cap. xxxv, 18, iuxta Septuaginta: « A timore tuo, Domine, concepimus, et parturivimus et peperimus spiritum salutis; » morimur vero per amorem: dum enim crescimus ad amorem Dei, moritur timor, iuxta illud: « Perfecta charitas foras mittit timorem, » I *Joan.* iv.

Symbolice Hebraei: « Israeli, inquit, sive Synagoge et populo Hebraeorum tempus nascendi fuit, cum in *Aegypto* post mortem Ioseph succrescere cepit, » *Exodi* i, de quo *Ezechiel*, xvi, 4, ait: « Quando nata es, in die ortus tui. » Tempus moriendi fuit, cum in captivitate Assyriaca, Babylo- nica et maxime Romana, respública Judaeorum eversa et dispersa quasi interit. Unde *Ezech.* xxxvii, 12, captivitas Judaeorum comparatur sepulcro, captivi ossibus aridis, reducees in patriam resur- gentibus. Melius primi christiani nascebantur in Ecclesia per baptismum, moriebantur gloriose per martyrium. Eis ergo tempus nascendi erat baptismus, moriendi martyrium.

Honique tempus nascendi Ecclesie Christi et Christianorum fuit tempus moriendi Synagoge Judaeorum: itaque enim haec perit, cum illa nata mox peperit, adeoque cum ex sterili Ecclesia natus est gentium populus, amisit filios Synagoge, ait S. Hieronymus, in cap. v *Michae.*

TEMPUS PLANTANDI, ET TEMPUS EVELENDI (Hebraice, *eradicandi vel extirpandi*). Sic et Syrus et Arabicus QUOD PLANTATUM EST. — Campensis, nunc inquitamnis quo olim ut adolescerent curvavimus; Chal- daeus, tempus consitionibus et evulsionibus arborum nunc est.

Post opus naturae (tempus scilicet nascendi et moriendi) subnequitur opus artis et artificis co- operantis naturae, ait Hugo, puta tempus plan- tandi arbores, frutices, herbas, ut caules, betas,

brassicas, etc., ac tempus eas eveleudi, ut novae plantentur. Tempus singulas plantandi iuxta or- tum certorum siderum, praesertim lunae, vento- rum, pluviarum, serenitatum, etc., exacte describit Columella, lib. II *De Re rustica*, cap. viii et seq., ac Varro, lib. I, cap. xxvii et seq. Ita Chal- daeus, Thaumaturgus et alii. Quare quod S. Hieronymus et Albinus exponunt, tempus plantandi esse tempus nascendi, et tempus eveleudi esse tempus moriendi, quod praecessit, non litterale est, sed mysticum.

Tropologie, tempus plantandi virtutes est, cum statis temporibus oportet nunc vacare penitentiae, ut in Quadragesima; nunc beatitiae spirituali, ut in Paschale; nunc operibus eleemosynae, ut tempore pestis, famis, belli; nunc patientiae, in tempore morbi, tentationis, persecutionis; nunc operibus vite activae, nunc contemplativae, prout obedientia vel necessitas ea requirit, et alternis iungit, ut saepe oportet relinquere Deum propter Deum, id est orationem propter actionem. Obedienti ergo nunc quieti contemplationis plantanda est, nunc eveleudi, et cum actione commutanda, cum id obedientia exigit. Rursus tempus eradicandi zizaniam est, cum conepiscitiae, suggestiones demonis, ac tentationes carnis et mundi ex imagi- natione et appetitu eveleudi sunt.

Symbolice Hebraei, inquit S. Hieronymus, haec omnes combinationes referunt ad Synagoram et populum Israel: « Tempus, inquit, generandi et plantandi Israel, tempus moriendi et ducendi in captivitatem. Tempus occidendi eos in *Aegypto*, et tempus de *Aegypto* liberandi. Tempus destruendi templi sub Nabuchodonosor, et tempus aedi- ficandi sub Dario. Tempus flendi et plangendi eversionem urbis, et tempus ridendi atque saltandi sub Zorobabel, Esdra et Nehemia. Tempus dispergendi Israel, et tempus in unum congregandi. Tempus quasi cingulum et balteum circumdandi Deo populum Judaeorum, et tempus ducendi eos in Babylonicam captivitatem, et ibi computrescere trans Euphratem. Lege *Michaeae* Hieronima. Tem- pus querendi illos et servandi, et tempus perdendi illos et projiciendi. Tempus scidendi Israel, et tempus iterum consuendi. Tempus facendi Prophetas nunc in captivitate Romana, et tempus lo- quendi eos tunc, quando etiam in hostili terra Dei consolatione et alloquio non carebant. Tempus dilectionis, qua eos sub patribus ante dilexit; et tempus odii, quando in Christum intolerant man- us. Tempus praellii, modo non agentibus eis pen- nentiam; et tempus pacis in futuro, quando in- trante plenitudine gentium omnis Israel salvus erit. »

Anagocice, tempus plantandi choros beatorum in caelo, et reprobos eradicandi et terra, ut detru- dantur in gehennam, ibidem perpetim arsi, erit dies iudicii; tunc enim « omnis plantatio, quam non plantaverit Pater meus caelestis, eradicabitur, » ait Christus *Math.* xv, 43

3. TEMPUS OCCIDENDI, ET TEMPUS SANANDI. — Syrus, tempus ad occidendum, et tempus ad vivifican- dum; Thaumaturgus, quae nunc curabitur, dein lethali fuerit.

Primo, Hugo Victorinus: Tempus occidendi, in- quit, oves et hoves est, cum eos mactamus, ut eorum carnibus a Deo, ob corporum post diluvium debilitatem, indultus vescamur; tempus sanandi est, cum his in Quadragesima et jejuniis abstinemus, eos servamus et quasi sanamus.

Secundo et genuine, tempus occidendi est, cum reus a iudice ad mortem damnatur, item cum hostes iusio praello ipvaduntur; tempus sanandi, cum in praello, aliave re lesi, infirmique curantur, cum damna bello illata per pacem resarciuntur. Unde Arabicus vertit, tempus certandi, et tempus medendi; et Chaldaeus, tempus saepe expostulat omnia flammis et ferro miscere; aliud vero male habentibus mederi, puta quo aegri curandi sunt.

4. TEMPUS FLENDI, ET TEMPUS RIDENDI. TEMPUS PLANGENDI, ET TEMPUS SALTANDI. — Arabicus, fletui tempus, et risui tempus. Conquerendi tempus, et saltandi tempus; Chaldaeus, tempore suo defendi sunt aegri, et alio tempore hilaritate et risu colligendi est amicus. Statuta die lugendi sunt mortui, et alia die gaudio exultandum est; Thaumaturgus, lacrymarum, pulso post rideatur; nunc luctus, dein et tripidium; Campensis, interdum masti lugemus, interdum letitia sublimis; Lyranus, tempus flendi est, inquit, in infirmitatis, tempus ridendi in eufortitudinis. Tempus ergo flendi et plangendi est in luctu, ob funera parentum vel amicorum, ob clades priva- tas vel publicas, ob pericula et adversa quolibet. Tempus ridendi et saltandi est in publica letitia, puta in triumphis, victoriis, festis, epulis, nuptiis; ubi nota, flere et ridere est privatum, plangere et saltare publicum. Sensus ergo est, q. d. jam planges in funere, jam saltabis in convivio; jam efferes ad funus tuam uxorem, jam aliam nuptiis secundis assumes; nunc funeralia convi- via, nunc celebrabis nuptialia. Sic omnia contra- rialibus plena sibi succedentibus, et ex dispari- bus nexa catena, vivitatis cum nuptiis, sessitatio in pulvere tempore planetus, et saltatio atque tripidium laetiori tempore, publicoque gaudio, ait noster Pineda. Advertit Nyssenens in *Caten. Graec.*, xxi, id est, planetum seu pectoris tusionem, intensionem addere in fletu et ejulatu; et *egressum*, id est saltationem, addere intensionem et amplificationem in letitia foras erumpere gestiente, atque tripidio exsultanti.

Nota choros et choreas ex se non esse illicitas, imo subinde esse sanctas, uti fuere Davidis saltantis ante arcam ex jubilo mentis in honorem Dei, II *Reg.* vi, 44 et 45 et Hebraeorum in gratiarum actionem ob transfatum maris Rubri, et submersum Pharaonem, *Exodi* cap. xv, 20; item ille feminarum ob cecum a Davide Goliath, I *Reg.* xviii, 6. Imo jussit Deus, ut Hebraei quotannis celebra- rent festum Tabernaculorum sacro tripudio,

ac saltarent in tabernaculo coram Domino, ut ostendi *Levit.* xxiii, 40. Sic a saltu sacro gentilis Romae celebres erant Salii, in Creta Curetae, in Phrygia Corybantes.

Verum magnus in choreis adhibendus est mo- dus, ne in lasciviam et luxuriam abeat. Unde Iudaeis carnalibus permixta sunt potius quam Christianis. Quare in choreas Christianorum inven- untur acriter omnes fere Patres, ut S. Basiliius, homil. 14 *Contra Ebriet.*; S. Ambrosius, lib. *De Elia et Jejun.* cap. xviii; S. Augustinus, serm. 215 *De Temp.*; S. Chrysostomus, hom. 48 et 56 in *Genes.*, et 49 in *Math.*; Clemens Alexandrinus, II *Prolog.* xx; Eusebius, XIII *De Praepar.* cap. xii; Lac- tantius, VI *Institut.* xx, et alii. Quin et contra eas exstant leges imperatorum, ut Constantii apud Eusebium in *Vita* ejus, cap. xviii; Theodosii et Valentinii, *De Spect.* cap. v; Arcadii, leg. *Omnes*, cap. *De feris*; Leonis et Anthemii, ibidem leg. ultim. Multo magis eas vetant leges Canonicae, *De Consecr.* dist. I, cap. *Qui diebus*, et dist. III, cap. *Irre- ligiosa*. Quocirca Mattheus Clingius in *Loci Theolog.* cap. *De Choreis*: « Quid, inquit, est chorea? Est circulus cujus centrum est diabolus, et circumferentia omnes angeli ejus. »

Tropologie S. Hieronymus: « Nunc inquit, flendi tempus est, in futuro ridendi. Beati enim flentes, quoniam ipsi ridebunt, Luce vi. Plangendum est impressentiarum, ut postea saltare valeamus illa saltatione, qua saltavit David ante arcam: quia qui in presenti saeculo sua plangit peccata, ridebit potius in futuro, » juxta illud *Malach.* cap. iv, 2: « Egrediemini, et salietis sicut vituli de armento. » Et Didymus in *Caten. Graec.*: « Tempus presentis vite, ait, flendo opportu- num est, tempus vero ridendi in spe jacet. »

Nota in hisce antithesibus indicari ordinem contrariorum: prius enim est tempus flendi, post- rius ridendi. Sic prius est tempus nascendi, deinde moriendi: prius est tempus plantandi, deinde eveleudi: prius tempus facendi, deinde loquendi, et ita de ceteris.

5. TEMPUS SPARGENDI LAPIDES EST, CUM DIRUANTUR domus, cum ex agro, horto, vinea lapides abji- ciuntur, ne semina, herbas et plantas suffocent: tunc ergo ager elapidatur, cum lapidibus libera- tur et purgatur. Tempus colligendi est, cum fidem lapides colliguntur et in saecrum adunantur, ut ex his fiat sepes aut murus agro, horto vel vineae contra bestias et fures tutando.

Secundo, Arboreus hanc gnomem arctat ad fabri- cas Salomonis, quas nunc edificavit, nunc destruxerit: sicut et hodie videmus homines opu-

lentos saepe domum, quam aedificaverat, destruere, hoc solo nomine, quod forma displiceat, ac novam novae formae velint exedificare: quae sane sumptuosa est vanitas et inconstantia.

Tertio, Cajetanus per lapides accipit pretiosos, puta gemmas, q. d. Tempus est colligendi gemmas et ornamenta, ac tempus est proiciendi illa, puta in tempore vastitatis et excidii, juxta illud *Thren. iv. 1*: «Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.» Rursum, q. d. Hoc saeculo parvi sunt lapides, et quasi sparguntur; mox alio saeculo colliguntur, magnoque habentur in pretio. Estimatio enim nominum dat pretium gemmis, aequae ad metallis; cumque illa saepe variet, hinc saepe variatur pariter pretium gemmarum.

Quarto, profundius Pineda hoc refert ad lapides saeculi, puta ad pondera quibus merces et nummi ponderabantur: haec enim olim erant lapidea et lapides, *Proverb. xvi. 11, q. d.* Est tempus quo homo vacet mercature, ideoque colligit lapides, id est pondera quibus suas merces aequae ad nummos ponderet et mensuret. Vicissim est tempus, quo hominem jam opulentum et senem tædet mercatura, cupique quietus sibi vivere et Deo, ideoque spargit abijctique lapidea haec pondera.

Tropologicæ Auctor *Catena Graec.*: Lapides, ait, sunt virtutes quibus vitia lapidamus et obruimus. «Quid enim aliud est temperantia, quam lapis, quo effrenis adhiñiensque animae affectus deturbatur atque prosternitur. Rursum lapides sunt sermones S. Scripturae, quibus hostem dejicere et obruere passimus: eosdem tamen in sinum animae revellere nos jubet, ut opportuno tempore illis in adversarios utamur, ut ejusmodi lapidum jactus nullo unquam tempore deficiant, neque unquam succumbamus.»

Synbolice, primo, S. Hieronymus refert nonnullos, qui sic exponunt, q. d. Legi severitatis successit lex clementiae, puta legi veteri lex nova. In lege enim veteri rei adulterii aliorumque criminum jubentur lapidari: lex nova vero hunc rigorem legis veteris sustulit, cum Christus adulteram absolvit, et Pharisaeis eam lapidare volentibus dixit: «Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidum mittat,» *Joan. cap. viii. 7*. Verum ipse hanc expositionem non probat, scilicet et literaliter: ut mystici enim admitti potest.

Allegorie S. Hieronymus: Hoc tempore, inquit, lapides, id est corda Judaeorum lapidea dispersa sunt a Christo, fide, veritate, salute; sed in fine mundi colliguntur, cum ad Christum converterentur, et universi congregabuntur.

Anagorie, lapides electi sunt sancti, quos Deus mittit in mundum, ut illum sanctificent; colligit vero, cum eos ad se per mortem rapit, ne videant mala gentium, atque celestem Jerusalem aedificent, ait S. Gregorius, *III Dialog. cap. xxxviii, in fine.*

TEMPUS AMPLEXANDI, ET TEMPUS LONGE FIERI AD AMPLEXIBUS. — Arabicus, *separandi*. Communiter interpretes accipiunt amplexum conjugum, usumque matrimonii, q. d. Nunc tempus est dandi operum procreandis liberis, nunc abstinendi et continentii, cum scilicet vacandum est orationi, penitentiae, jejuniis (ut in Quadragesima), juxta illud *I Corinth. vii*: «Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.» Item cum uxor est aegra, patitur mensura, senex est, aebet, etc. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Hugo, Bonaventura, Lyranus, Dionysius et ceteri fere omnes. Sic Noe cum filiis omnibusque animalibus in arca abstulit ut conjugii, ob communem in totius mundi per diluvium subversionem luctum, uti dixi *Genes. viii. 16*. Hinc Chaldaeus, suo tempore ad uxorem est aditus; septem vero diebus luctus ab ea revolendum est. Sic Sare dixit Tobias sponsae suae, *capit. viii*: «Exsurge, et deprecemur Deum hodie et cras et secundum cras, quia his tribus noctibus Deo jungimur; tertia autem transacta nocte, in nostro erimus conjugio: filii quippe sanctorum sumus.» Accedit Vatablus qui sic exponit, quod contrahamus matrimonium, aut non, sed maneamus caelibes, hoc pendet a Deo; matrimonium habet suum tempus.

Paulo aliter Thaumaturgus: *Nunc, ait, vir mulierem deperit, atque insano amore complectitur; nunc cum impense odit et aversatur, praesertim post copulam, cujus rei physicam causam dicit Aristoteles et physici, uti post eam exosam habuit Thamar Ammon, «ita ut majus esset odium quo odebat eam, amore quo ante dilexerat,» II Reg. xiii. 14*. Hinc Campensis hoc loco vertit, *nunc operam damus amplexibus, nunc ad amplexus naveamus.*

Secundo, Hugo, Pineda amplexum accipiunt amicorum et amicitiae, q. d. Nunc tempus est amplexandi amicos eolendique amicitiam; nunc ab illis abstinendi, ut cum absunt, moriuntur, vel infideles deprehenduntur, q. d. Instabilis est hominum amicitia, in eaque est vanitas vel mortis, vel absentiae, vel perfidiae, vel mœstutis. Stabilis vero est cum Deo, in eaque est veritas, sinceritas, constantia et beata eternitas. Illi ergo inhære, et «in illo veterasco,» *Eccl. ii. 6*.

Allegorie, tempus amplexus a conjugii fuit in lege naturae et Moysi, cum dictum est: «Crescite, et multiplicamini,» *Gen. i*. Tempus vero continentiae est in lege nova, cum dicitur: «Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum,» *Math. xix. 12*. Quia praecipii veteris (Testamenti) est, ut terra procreantibus impletur: novi vero, ut continentia atque virginitate eam impletur,» ait S. Isidorus, *lib. II De Offic. Eccl. cap. xvii*. Sic et S. Hieronymus et Olympiodorus.

Synbolice, tempus suum est vacandi sapientiae, contemplationi et amplexibus Dei cum Maria; tempus pariter abstinendi, ut vacetur actioni cum Martha, puta ut serviantur necessitatibus

corporis vel salutis proximorum. Ita S. Hieronymus et Hugo. Sic Moyses accepturus legem per 40 dies in monte collocatus est cum Deo; at postea peccante populo et idololatrante, descendit, ut eum corrigeret, *Exodi xxxii. 7*.

6. TEMPUS ACQUIRENDI (Hebraea, *querendi*), ET TEMPUS PERDENDI. — Arabica, *jacuram facendi tempus*; Chaldaea, *tempus est electum ad querendam pecuniam, et tempus est electum ad perdenda suppellectilia*; Campensis, *nonnunquam magno studio quarimus, quod paulo post perdamus.*

Primo, Hebraei hoc arctant ad Davidem et Salomonem, q. d. Tempus acquirendi tribui Judae regnum Israel fuit sub Davide, tempus illud perdendi fuit sub Roboam filio Salomonis ob ejus idololatriam, *III Reg. xii*.

Secundo, Olympiodorus, q. d. Tempus est quomodo tuam perdas, et tempus est quo perditum rursum invenias, ut sit hysteron proteron. Primo enim ponitur *acquirendi*, deinde *perdendi*, cum in reipsa prius sit perdere, quam perditum acquirere.

Tertio, Thaumaturgus, Nysenus, Lyranus, Hugo, Bonaventura et alii haec adaptant mercatoribus et lucra captantibus, q. d. Est tempus, cum mercator lucra acquirat, est cum eadem perdat, ut cum nave mercum patitur naufragium, aut capiuntur ab hostibus, vel merces ipse corrumpitur, aut ob aliarum appulsus minoris veniunt. Saepe ergo, ait Pineda, ut aequo jactans animo patiamur, et sive cum fortuna, sive potius cum Deo supremo rerum arbitro et gubernatore lucri et jacturae societatem ineamus, in rerum temporalium negotiatione et possessione. Nam «si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus?» Temperanda lucri letitia cum amissionis et jacturae aegritudine. Itaque ut ille alius sapienter dicebat: «Fortuna obijcenda animi confidentia, et perturbationi ratio.» Neque magni facienda fortuna, quae «non tam dono quam maturo dat,» pro lido repetitur. «Non est enim valde optabilis (ut refert ex Lacone quodam Cicero) fortuna appata rudentibus,» rei nimirum inconstanti, et vel cum ventis, vel cum fluctibus mille semper in discriminibus versanti.

Quarto et genuine, *et perdendi* hic verbum est, non neutrum, sed activum, ut idem sit quod corrumpere, abijcere, dissipare; hoc enim significat Hebraeus *אבד*. Et sic eadem pene haec est combinatio cum sequenti: «Tempus custodiendi, et tempus abijcendi,» q. d. Est tempus, cum res, puta annonam, fruges, opes compaes et acquiras; est rursum tempus, cum easdem perdas et prodigas, ut cum ingruit tempestas in mari, pestis in terra, hostis in urbe. Rursum cum fruges ipse sunt corruptae, aut cum alia de causa res nostras fastidimus, ideoque eas abijcimus et flammis tradimus. Ita S. Hieronymus, Albinus et alii.

Mystice S. Athanasius, tract. in illud: *Profecti in pagani, qui ex adverso est, invenietis pullum, primo, exponit de Christo, q. d. Christus quiescivit hominem peccato Ade perditum: «Quia, inquit, jam longo tempore perditum erat genus humanum, et peribat diaboli fraudibus. Tempus enim querendi venit, et eximendi et captivitate.» Secundo, de peccatore penitente, q. d. Require per penitentiam, quod perdidisti per culpam; aut, q. d. Acquire gratiam, perde peccatum. Tertio, de justo, quasi dicit: Ut acquiras animae salutem, perde et mortifica ejus concupiscentiam; ut acquiras virtutes, perde vitia; ut acquiras coelum, perde terram; ut acquiras spiritualia, perde temporalia, juxta illud Christi: «Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam,» *Matth. x. 39*; «ut scilicet tempore martyrii neque possessionibus, neque liberis, neque parentibus, neque corpori, ne ipsi quidem animae paritum velimus, sed nos offeramus usque ad mortem, ut inveniamus animam nostram in regno caelorum. Qui igitur vult invenire animam suam, perdat eam in hoc tempore. Necessum est ergo in nobis perdi multum, ut quærentes virtutem eam inveniamus. Si quis enim non contulerit ab ira, quomodo ad mansuetudinem exercebitur? Si quis a se non extimerit fornicationem, quomodo is ausit temperantiam profiteri? Quæsvi, inquit, quem diligit anima mea, quæsvi et inveni eum, et introduxi illum in domicilium matris meae, et in cellam genitricis meae.» Haecque S. Athanasius.*

Rursum Auctor *Catena Graec.*: «Tempus, ait, acquirendi universa haec vita est; acquirendi, inquam, Dominum, quem querere nos oportet; et contrario autem id amittere debemus, cujus possessio jactura, cujus amissio lucrum est.»

TEMPUS CUSTODIENDI, ET TEMPUS ABIJCENDI. — Syrus, *tempus ad conservandum est, et tempus ad solvendum*; Thaumaturgus, *nunc anxiam servat custodia, quod dein fastidiosus sponte proijcet, q. d. Est tempus, cum res tuas custodias; est vicissim tempus, cum eas abijcias, cum scilicet corrupte sunt, aut imminet tempestas, pestis, mors, hostis, latrones, etc., uti jam dixi. Aretius Campensis: Nonnunquam, ait, comparimus, quod postea dilapidemus.* «Athenius Olympiodorus: Dispensator, ait, novit quo tempore pecuniam apud se custodiat, quo expendat. Alii: Novit liberalis quando pecunias servet, quando eas in pauperes eroget.

Tropologicæ tempus custodiendi opes est, cum juvant ad alendam familiam, et virtutem eleemosynae operandam; tempus eas abijcendi est, cum nocent anime, eumque inicit ad ad galum et luxuriam, aut Christus orationis et perfectionis advocant: unde studium ad adolescentem: «Si vis, ait, perfectus esse, vade, vende que habes, et da pauperibus,» *Matth. cap. xix. 21*. Ita Hugo. Mystice Hugo Victorinus: Tempus est, ait, cum

Deus suos fideles a tentationibus et periculis custodit: rursum tempus est, cum eos illis exponit et obijcit, vel in penam peccati, vel ut probet et augeat eorum patientiam, fidem et virtutem.

7. TEMPUS SCINDENDI (alii, *lacerandi*), ET TEMPUS CONSUENDI. — Arabibus, tempus *abscindendi*, et tempus *consuendi*; alii, *suendi*; alii, *resarciendi*; Campensis, *quandoque discernimus quod olim consuimus*; Chaldeus, *die sua super mortuo vestis conscindenda, et tandem etiam fractura est scienda*.

Tempus scindendi vestes Hebraeis erat in gravi clade, vel audita blasphemiam quopiam, uti Caiphas scidit vestes suas Christo asserente se esse Filium Dei, dicens: « Blasphemavit, » *Matth.* cap. xxvi, 65. Vice versa cessante clade vestem laceratam consuebant. Tempus ergo scindendi est tempus luctus, tempus consuendi est tempus letitiæ et gaudii. Rursum, ut vestis quæpiam conficiatur, pannum apposite ad corpus scindere, deinde consuere oportet; ad hæc ut ex una veste alia concinetur, v. g. ut ex tunica fiat thorax, eam scindere et pectori aptare, ac deinde sarcire necesse est: sic Deus, qui fuit primus mundi sartor, Adæ et pellibus consuit tunicam, *Genes.* cap. iii.

Minus apte Thaumaturgus hæc refert ad scissionem corporis, *q. d.* Est tempus, quo corpus gladio conscindas et vulneres in bello, vel iudicio ad puniendum crimen; est rursum tempus, quo illud conscissum redintegres, et quasi consuas. Alienus quoque Didymus in *Catena Græc.*: « Homo, inquit, iam occidit, iam occiditur. »

Mystice Hebræi: Tempus, inquit, scindendi regnum Israel fuit sub Roboam, quo decem tribus ab eo deseciscentes regem constituere Jeroboam, *III Regum* xii. Tempus consuendi erit, cum in fine mundi Omnes Israelitæ conversi ad Christum, in unam Ecclesiam et regnum nunquam discindendum conspirabunt, *Ezech.* xxxiv, 29.

Symbolice Hugo Victorinus hæc refert ad fœderis et amicitia copulationem et dissociationem: « Habet enim, inquit, consensionem suam tempore suo consensus socialis: habet et scissionem in tempore suo zelus iuste contradictionis. »

Sublimius idem Hugo inferius hæc refert ad copulationem naturæ et gratiæ: « Ea, inquit, quæ scinduntur substantialiter unum sunt; ea vero quæ consuntur essentialiter quidem diversa sunt, sed mediante vinculo fili quasi accidentaliter unum sunt. Sic enim omnis homo corruptibilis et periturus uniter per naturam; sed efficitur particeps æternorum per gratiam. Sic quippe consuntur humana et divina in unum, ut quæ duo fuerant per naturam, fiant unum per gratiam. Compunctio siquidem ipsa æus est, et dilectio filium. Et facit viam æus et perforat utrumque, ut filium utrumque contineat; neque enim consuetio aliter fieri potuisset, nisi utrumque foraretur et utrumque contineretur, quia discederet alterum ab altero, et facile se ab unitate divideret, si utrumque vinculum non contineret. Propter hoc utrumque

perforat æus compunctionis, et filium dilectionis connectit utrumque, ut stent simul et non discedant ab invicem. »

Rursum tempus scindendi est tempus excomunicandi, quo peccator impenitens absconditur ab Ecclesia, ut per hanc penam et infamiam peniteat, itaque rursum Ecclesie assuat et uniat, uti Paulus fornicarium abscondit, et penitentem rursum assuit Ecclesie, *I ad Corinth.* cap. v, et *II Cor.* ii. Ita Auctor *Catene Græcorum*.

Allegorice discussum fuit Christi corpus in passione, consutum in resurrectione. Idem fiet nobis.

Tropologice, scindimus corda per penitentiam et resecationem vitiorum, consutum per novæ vite virtutumque texturam. Rursum societatem cum hereticis vel improbis discindimus, ac catholicis probisque sociamus, dum iniquos contractus rescindimus et æquos inimus. Denique Arias laceravit tunicam, id est Ecclesiam Christi, quam S. Athanasius rursum consuit, uti S. Petro Alexandrino Episcopo Christus per visum ostendit. Vide ejus Vitam apud Suriium, 26 novembris.

TEMPUS TACENDI, ET TEMPUS LOQUENDI. — Chaldeus Complutensium, *tempus est electum ne proferantur verba contentiosis, et tempus est electum ad proferendum verba contentiosis*. Chaldeus vero Costi sic habet, *aliquando ponendus est orationi et precibus modus; alias vero contentione verborum utendum*. Refert ergo ipse hæc ad precum studium vel silentium. Didymus in *Catena Græc.*: « Homo, ait, jam loquitur, jam tacet. » Tempus tacendi est in schola, in precibus, in concione. Rursum cum superior, præceptor vel senior loquitur, subdito, discipulo et juveni tacendum et auscultandum est; cum doctor vel concionator jam senex voce, memoria, faciundia, gratia destituitur, tacet, ac lampadem munusque loquendi, docendi et prædicandi resignat juniori iis pollenti. Tempus loquendi est doctori, cum docendum est; prædicatori, cum prædicandum; superiori, cum monendum vel corripiendum est subditis; pari, cum consilium, consolationem, vel directionem impendere debet proximo. Hinc Salomus: « Verba tua, inquit, tantisper silentio premes, donec commoda loquendi sese offerat occasio. » Audi S. Hieronymum: « Pythagoricos reor, quorum disciplina est tacere per quinquennium, et postea eruditibus loqui, hinc originem sui traxisse crediti. Discamus itaque et nos prius non loqui, ut postea ad loquendum ora reseremus. Silæamus certo tempore, et ad præceptoris eloquia pendeamus. Nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. Nunc vero pro sæculorum quotidie in pejus labentium vitio, docemus in Ecclesiis quod nescimus. Et si compositione verborum, vel instinctu diaboli, qui fautor errorum est, plausus populi excitaverimus contra conscientiam nostram, scire nos arbitramur, de quo alii potius persuadere. Omnes artes absque doctore non

Silenti-
um dis-
colat.

disimus; sola hæc tam vilis et facilis est, ut non indigeat præceptore. »

Hæc de causa Salomon præponit tempus tacendi temporis loquendi, quia tacendo discimus loqui. Quocirca Hugo Victorinus, lib. *Institut. moral.* xvi: « Non ait Salomon, inquit, tempus loquendi et tempus tacendi, sed tempus tacendi et tempus loquendi; quia prius in silentio forma loquendi sumitur, quæ postmodum tempore loquendi in voce teneatur. » Unde S. Basilius, in *Regul. fus.* cap. xiii: « Silentium, ait, est gymnasium bene loquendi. » Et B. Diadochus, lib. *De Perfect. spirit.* cap. lxx: « Præclaræ ergo res, inquit, est silentium, nihilque aliud quam mater sapientissimæ cogitationum. » Rursum S. Hieronymus in *Regul. monach.* cap. xxii: « Ex hoc enim, inquit, in eremo edocli S. Patres, summa cum diligentia observant silentia tanquam sanctæ contemplationis causam. » Et S. Bernardus, *epistol.* 88: « Juge silentium, et ab omni strepitu secularium perpetua quies, cogit cœlestia meditari. » B. Doctus, *serm.* 20: « Cave a multiloquio: hoc enim sanctas ac rationabiles et a cœlo advenientes cogitationes penitus extinguit. » Denique silentium docet facere id quod jubet S. Bernardus in *Specul. Monach.*: « Aequam verba proferas, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam. » Et illud S. Augustini: « Omne verbum prius veniat ad limam, quam semel ad linguam. » Albertus Magnus, lib. *De Virtut.* cap. xxxi: « Ubi non est taciturnitas, ibi homo facile ab adversario superatur. »

¶ Iam hæc de re dixi *Proverb.* xxv, 11, et *Ecl.* cap. xx, 6 et 7, ubi citavi S. Gregorium et S. Ambrosium, hunc locum exponentes. Pluribus exemplis idipsum confirmat Zozimus Papa, ut habetur *dist.* 36, cap. *Qui Ecclesiasticis*: « Hinc etiam, ait, idem Salvator noster, prius in medio doctorum sedit, audiens illos et interrogans, et postea predicare cepit: quia prius quisque discere, et postea predicandi officium usurpare debet. Hinc etiam Salomon ait prius tempus tacendi, et postea loquendi: quia veritas prius tacendo discitur, et postea loquendo prædicatur. Hinc idem dominus ait: Qui audit, dicat: Veni. Hinc etiam prius Apostolos docuit, deinde eos ad prædicandum misit, dicens: Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Sic etiam prius post resurrectionem illis sensum aperuit, et Scripturas explanavit, et postea dixit eis: Euntes in mundum universum, » etc.

Serpus
senten-
tæ.
Erasmo.

Porro, S^{er}mon hæc non hanc gnomen ponit hoc fine. Primo, ut ostendat vanitatem sapientiæ et facultatis, ob quam non raro superbiunt viri docti et eloquentes, præsertim doctores et prædicatores, cum ob diceudi gratiam plausum habent, et post se trahunt greges auditorum et discipulorum, qui ab ore eorum pendunt. Hisce enim succedit tempus tacendi, cum ob senium, morbum alianve causam deforescit hæc docendi dicendique gra-

tia, aut cum supervenit alius doctor vel concionator magis disertus, quem populus prioris relicto sequitur: qua in re sæpe naufragium et auditorio, et nominis, et tranquillitatis patiuntur concionatores, qui proinde si vanam hæc populæ auram sectentur, miserrimi sunt: illa enim instar venti mutatur, et nunc hæc nunc illum sequitur, priorem deserens. Qui ergo sapit, hoc munus beate pure ex obedientia et amore Dei, ac cum S. Francisco eadem quietæ animi, et eadem alacritate concionetur paucis et multis, plebeis et nobilibus; magnum cogitat se habere auditorem Deum, ac de eo dicat id quod Plato de Aristotele: « Hic unus mihi sufficit: pluris enim est, quam mille alii. »

Secundo, ut doceat prudenter distingueret tempus quo tacendum est, et quo loquendum; quare cum fructu loqui et tacere: cum imprudens utrumque pervertat, ac loquatur cum tacendum esset, et tacet cum loquendum foret, ideoque sine fructu, imo cum damno tam suo quam proximi loquatur vel tacet, juxta illud: « Est tacens non habens sensum loquens: et est tacens sciens tempus aptum. Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem et imprudens non servabit tempus. *Ecl.* cap. xv, vers. 6. Ita S. Gregorius, *III part. Pastor.* admo. 13: « Tempus tacendi, inquit, et tempus loquendi: discretæ quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. »

Secunda.

8. TEMPUS DILECTIONIS, ET TEMPUS ODII. — Sep-
Vers. 8.
tuaginta, *tempus amandi, et tempus odiendi*; Syrus, *tempus ad amandum, et tempus ad odiendum*; Arabicus, *diligendi tempus, et contumeliam tempus*; Campensis, *interdum amamus, interdum odio prosequimur ematum*.

Sensus est, *q. d.* Nihil in orbe, nihil etiam in hominis appetitu fixum et stabile, sed variantia omnia et vana: nam rem quamplurim, puta amicum, quem nunc diligis, odio prosequeris, cum eum noxium, infidelem, contrarium experieris, aut certe cum mutato affectu tuo ille tibi displicebit. Sic dilectio et odium accipitur active: potest et accipi passive, *q. d.* Ne nimis confidas amico et amicitia, quod ab eo diligaris: quia is qui nunc te diligit mox odiet. Sic enim in hominibus hi affectus alternant, ut quod nunc ardentem concupiscunt, mox ubi eo potiti fuerint, fastidiant, et subinde odiant. Quocirca bias monebat: « Sic ama tanquam osurus, sic odi tanquam amaturus. »

Proprie sapientiæ et justæ amoris causa et obiectum est virtus, odii peccatum: quare justo tempus dilectionis est, cum proximum videri vacare virtuti: odii, cum viderit eundem declinare ad peccatum: tunc enim eum odit non ut hominem, sed ut peccatorem; imo proprie peccatum duntaxat in eo odit, ut illud exterminet, proximumque ab

eo liberet; aut certe si superior sit, illud iustipunitioe ad aliorum terrorem vindicet. Unde Chaldaeus vertit, *tempus idoneum ut unus amet socium suum, et tempus idoneum ut odio habeat virum peccatorem*, praesertim qui te et alios in peccati societatem pertrahere solat.

Denique, tempus amoris est in iuventute, quae sanguine, calore et spiritibus abundans proclivis est ad amandum; tempus odii est in senectute, quae frigida, torpida, tristes et tetrica ad fastidium et odium propendit. Hinc Synagoga adhuc tenera et juvenue ait Deus: « Ecce tempus tuum, tempus amantium. » Hebraice *דודים* *dadim*, id est amorum vel uberum, *Ezech.* cap. XVI, vers. 8.

Tropologie nunc est tempus diligendi carnem et animam, ut eam ad Dei gratiam et gloriam promovemus: nunc odiendi eandem, cum pravis ejus cupiditatibus resistendum est, juxta illud Christi: « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. » *Luce* cap. XIV, 26. Ad haec S. Cyprianus *De Singulari Clerico*: « Tempus amandi, ait, et tempus odio habendi. Ama feminam inter sacra solemnia (ut ad illa ipsas, o Clerice, admittis), et odio habe in communione privata (ne privam cum illis verseris), si vis Salomonis tenere doctrinam. »

Rursus S. Hieronymus tropologie sic exponit: « Tempus est amandi post Deum liberos, uxorem, propinquos: et tempus odiendi eos in martyrio, cum pro Christi confessione rigidos impietas oppugnat inimica. » Sic et S. Ambrosius, in *Psal.* cxviii, octavo. 15: « Tempus amandi, inquit, et tempus odio habendi, hoc est tempus martyrii, quando ea quae divina sunt omni caritati necessitudinum preferenda sunt, etc., ut quos dilexeris odisse, et quos oderis amare conveniat. »

Allegorice idem S. Hieronymus, *q. d.* Tempore Salomonis amanda erat circumcisio et lex Judaica, nunc tempore Christi odienda est et repudianda. Analogice idem, *q. d.* Tempus hujus vite est, quo praesentia amamus, quae in futura beatitudine fastidimus et odio prosequemur.

Denique Auctor *Catenae Graecae*: Amandi, ait, necnon odio habendi tota vita tempus est, sed amoris scopus non alius quam Deus; scopus odii, hostis vite nostrae demon.

TEMPUS BELLI, ET TEMPUS PACIS. — Haec antithesis subalterna, et fere eadem est cum praecedenti. Tempus enim belli est tempus odii, et tempus pacis est tempus concordiae et amoris. Unde Arabicus vertit, *tempus belligerandi, et tempus pacificandi et salutandi*; Chaldaeus, *tempus est electum ad praehandum, et tempus est electum ad faciendam pacem*; Campensis, *interdum inimicitias accorvenimus, interdum amplectimur pacem*. Sensus ergo est, *q. d.* Tempus est quo bello paranda est pax, ut cum hostes rempublicam invadunt aut ledunt. cum

seditioni vel improbi turbant quietem communitatem, cum vitia et cupiditates in nobis alivise rosecanda sunt, quo facto tempus est pacis. Pax enim per se expetenda est, utpote quae virtute, justitia bonisque omnibus temporalibus et spiritalibus florere facit rempublicam. Hinc in Scriptura vocatur *Deus pacis, et pax Dei*, scilicet donum singulare et proprium, *Philip.* IV, 7; *Roman.* XV, 33. Bellum vero suscipiendum est non propter se, sed propter pacem. Unde bellum dicitur per antiphrasin quasi minima *bellum* id est pulchrum, vel a *bellis*, quasi belluinum, vel bellum quasi *duellum* (sicut pro bonum olim dicebant *duonum*); aut a *Belo*, qui primus bellum movit, uti alibi dixi ex Cassiodoro, lib. I *Variar. epist.* 30.

Rursus Thaumaturgus sic exponit, *q. d.* Res humane nunc bello afflictae, nunc tranquillae et pacatae sunt; tantaque est eorum inconstantia, ut quo modo secunde esse videbantur, celeri momento in certissima mala dilabantur.

Mystice, S. Ambrosius in *Psal.* cxviii, octavo. 15: « Tempus belli est, inquit, quo etiam bellum pro Christi nomine perditis pignoriibus inferamus. Tempus pacis, quia in pace locus ejus est. » Et Nyssenius in *Caten. Graecae*: « Tempus pacis est tota vita, ut pax nobis, inquit, cum Deo sit, eo quod hostem infestumque animum erga adversarium (satanae) sumpserimus. »

Denique noster Alvarez de Paz, lib. II *De Vita spirit.* part. II, cap. xv, omnes has Salomonis antitheses eo applicat, ut significet quemque sibi suaeque perfectioni prius vacare debere, deinde in proximi salutem incumbere. Cogita, inquit, quia omnia tempus habent, et prius debes virtutibus adolescere, et ad perfectionem spiritualis aetatis pervenire, quam filios Deo generes et aliorum mater appelleris. Adverte, o anima, quia nunc in principio conversionis tuae « tempus est nascendi, » et ad divinum amorem perveniendi, et postea erit « tempus moriendi » pro fratribus, ita ut cum Paulo possis dicere: « Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, » I *Corinth.* cap. XV, 31. Nunc « tempus est plantandi, » cum in teipsa virtutes inserendi; postea erit tempus evellendi de cordibus aliorum, quod perperam a veterano hoste plantatum est. Nunc « tempus occidendi, » ut scilicet inordinatum tuum amorem extinguas, et in matutino interficias omnes peccatores terrae; et deinde erit « tempus sanandi, » cum apla erit aliorum vulneribus mederi, et verbo doctrinae infirmis mentibus curationem afferre. Nunc « tempus destruendi, » quae male in saeculo edificaveras; et postmodum erit « tempus edificandi, » cum opes aggregaveris, quibus valeas virtutum arcem in aliis extruere. Nunc « tempus flendi » propria delicta, et postmodum erit « tempus ridendi, » atque gaudendi de impiorum a te facta conversione. Quia de praedicatoribus ita scriptum est: « Eantes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione,

portantes manipulos suos. » Nunc « tempus plangendi » propter propria mala, et deinde erit « tempus sallandi » ex devotionis affectu propter fratrum bona. « Tempus colligendi lapides » et parandi arma necessaria ad praellum, ac in posterum erit « tempus dispergendi » eos et infingendi in fronte Philistaei. Nunc « tempus amplectandi » ponsum, qui pascitur inter lilia, ac deinceps erit « tempus longe fieri ab amplectibus, » cum charitatis donum suscipias, dicas cum Paulo: « Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. » Nunc « tempus acquirendi » dona quae postea distribuas, et deinde erit « tempus perdendi » teipsam, hoc est laborandi et affligendi, ut lucrum animarum acquiras. Nunc « tempus custodiendi » arcem mentis tuae, et postea erit « tempus abijcendi » ex parte curam tui, ut aliorum quoque curam admittas. Nunc « tempus sciendi » cor tuum, et peccatorum dolore molliendi; ac deinde erit tempus consuendi, hoc est, in bonum proximorum conficiendi sermonem ex sententiis Scripturarum. Nunc « tempus tacendi, » et postea « tempus loquendi, » quia, ut inquit Hugo, prius per silentium tempore tacendi discitur, quod postea per verbum tempore loquendi profertur. Denique nunc « tempus dilectionis » Dei, et « tempus belli » adversus ea quae huic dilectioni obstant; et in posterum erit « tempus » exercendi « odii » adversus ea quae tuas dilectas odit, et « tempus » inter occupationes quietis et « pacis. »

9. QUID HABET ANELIUS HOMO DE LABORE SUO? — nisi hanc contrariorum vicissitudinem jam recensitam, inconstantiam, laciniationem, varietatem, quod est thema et argumentum totius libri initio propositum, ac deinde post singulas inductiones iteratum, velut epiphonema et conclusio. Unde Campensis vertit, *quem fructum capit homo ex tam pugnantibus et molestis occupationibus? q. d.* Nullum, quia omnia sibi invicem per vires temporum succedunt, cruciant et evanescent. Unde infert Thaumaturgus: « Dicamus igitur, inquit, tam infructuosus laboribus » quando longum valere, » ut scilicet utamur iis ocliter velut in transitu, nimium qualibet re in tempore suo, sed interim: manamus mente fixi in Deo et aeternitate, ad illamque tendamus jugiter et aspiremus. Et S. Hieronymus: « Cum omnia, ait, suo labantur tempore, quid frustra conamur et tendimus, et brevis vite labores putamus esse perpetuos? nec contenti sumus secundum Evangelium malitia diei, nihilque in crastinum cogitemus. Quid enim possumus habere in hoc saeculo amplius laborando? in quo id tantum a Deo hominibus datum est, ut alius alia sectando habeat, in quo erudiri et exercere se possit. »

Rursus Nyssenius censet haec de morte dici, quod omnes hominum labores eorumque fructus hodiuntur in morte, ut *de labore sit idem quod post laborem et vitam.* « Perinde, inquit, est, ac si diceret: Quid habet ex humanis omnibus labo-

ribus, e quibus nihil ad eum redit, amplius? Agros colit, navigat, militaribus operibus affligitur, mercaturam exercet, damnus patitur, lucratur, litigat, pugnat, causa cadit, sententia data. Item vincit, infelix censetur, beatus existimatur, domi manet, errat apud exteros. Quid ei, qui per haec suam consumit vitam, amplius affert? Annon simul atque desinit vivere, omnia tecta sunt oblivione, et ab his quorum studio tenebatur desertus abit nullus? »

Insuper Chaldaeus sic habet, *quid amplius habet vir operans, qui laborat ut faciat thesauros, et ut congreget pecuniam, nisi adjuvetur desuper sidere bono?* Septuaginta, *quae abundantia est facientis quibus ipse laborat?* Arabicus, *quid restat illi, qui facit omnibus in rebus quibus laborat?* Haec enim omnia significant hebraea *מְנוּחָה* *mitnah*, uti dixi cap. I, vers. 3. Sensus omnium est, *q. d.* Ex diebus temporum vicissitudinibus liquet, nihil homini ex omni labore remanere fixum et stabile, in quo conquiescat: ac proinde nihil superesse, nisi ut per illas omnes opportune decurrat, et cum transsemitibus transeat; quare nullam sibi in hac vita felicitatem statuat, cum nil in ea sit perpetuum, nil durabile, sed omnia temporalia, transientia et vana. Felicitatem ergo quaerat in futura aeternitate, ad eamque se parat serviendo Deo vero, in eoque omnes suas spes delingat, apud quem omnia sunt solida, firma, aeterna.

10. VIDI AFFLITIONEM, QUAM DEDIT DEUS FILIIS HOMINUM, UT DISTENDANTUR IN EA. — Hebraice *מְנוּחָה* *mitnah*, id est ut humiliantur, affligantur, crucientur in ea.

Haec gnome hebraica et graece iisdem verbis extat cap. I, 43 (licet Noster pro *afflictionem* ibi vertat *occupationem*; pro *distendantur*, *occupentur*), ubi eam explicui: quare ibi dicta hic non repetam. Pertinet haec gnome ad praecedentem interrogationem, et ad illam videtur esse responsio, aut certe tacite responsionis ratio et confirmatio. Unde Campensis vertit, *quem fructum capit homo ex tam pugnantibus et molestis occupationibus? Deprendit quod Deus illas immiserit animis hominum, ut ipsi se illis torquant.* Et Thaumaturgus, cum vers. praecedenti vertisset, *dicamus igitur tam infructuosus laboribus aliquando longum valere*, hoc versa rationem subdens ait: *Si quidem omnia haec nec sententia ad exagitandos homines venenatis aculeis armata sunt.* Sic et uterque Hugo, Cajetanus, Orosius et alii.

Porro S. Hieronymus, et ex eo Albinus ac Tietelmannus, hanc gnomem referunt ad sequentem de investigatione mundi, et rerum a Deo creaturarum, *q. d.* Deus homini haec occupationem scrutandi res in mundo a se creatas indidit, ut ea honeste occupatus, Deum creatorem agnosceret, amaret, laudaret, itaque absterneret a curiosorum divinarum et abditarum vestigatione, atque ab omni vitio.

Denique Nyssenus hanc afflictionem a Deo homini datam censet, non per se, sed ex occasione, qua homo rebus Dei bonis abutitur nimio amore et studio, quo se affligit: perinde, inquit, ac si quis conviva cultro ad cibos secandos dato abuteretur ad sui vel aliorum necem. Sic et Olympiodorus: « Homo, ait, lapsus a recto, et a constanti ratione aversus, id quod est in unoquoque utile, vertit in contrarium. » Favet versio Chaldei, qui in penam peccati hanc afflictionem homini impio datam opinatur: « Vidi, inquit, negotium castigationum et vindictam, quam dedit Dominus filiis hominis qui sunt improbi, ut affligantur in eo. »

11. CUNCTA FECIT (Deus processit) BONA IN TEMPORE suo. — Hebraea, *omne fecit pulchrum in tempore suo*; hinc mundus græce vocatur *κράτος*, a rerum ornatu et pulchritudine. Docet vires temporum jam assignatas esse bonas, utpote factas et ordinatas congrue ad tempus quodlibet, ab optimo et sapientissimo Deo, ad creaturam et hominis bonum et commodum.

Pulcher, vel, ut prisci dixerunt, *polseer*, a pollendo dicitur, quod polleat forma. Nam, ut ait Cicero, IV *Tuscul.*: « Pulchritudo corporis est apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate. » Sic pulchritudo mundi consistit in apta elementorum, cælorum, cæterarumque partium figura, dispositione, nexu, suam in mixtis habens variegatam et omnigenam colorum suavitatem. Pulchritudo temporis et rerum temporalium consistit in congrua partium ejus successione, proportionem et nexu, quod scilicet tempus nascendi præeat, sequatur tempus crescendi, generandi, ac tandem finiat tempus moriendi. Sic pulchritudo anni est, quod hiemi frigida et rigida succedat ver tepidum, florens et virens (unde ver dicitur quod omnia faciat vivere); veri succedat æstas messe fecunda, æstati autumnus uvis, pomis, fructibusque diversicoloribus ornatus, et quasi picturatus. Sic ergo Deus fecit omne pulchrum in tempore suo, quia v. g. verna amonitas pulchra est in vere, nec pulchra aut decora foret et commoda in hieme vel æstate; sic et frigus pulchrum est in hieme, non in æstate, etc. Hoc est quod dicitur *Genes.* I, 10 et 12: « Et vidit Deus quod esset bonum; » bonum enim est decorum et pulchrum. Unde Septuaginta hic vertunt, *universa que fecit bona in tempore suo*; et Syrus, *omne quod facit optimum in tempore*; et Arabicus, *omnes res quas facit optimas esse optimas*; Symmachus, *bonum unumquodque in tempore proprio*; Chaldeus, *dixit Salomon in spiritu prophetiae: Omnia fecit Dominus bona in tempore suo*.

Est occupatio, qua occurrit tacte objectioni. Dicit enim quis: Si creaturæ in se sunt vanæ et caducæ, qua ratione ergo a Deo vero et eterno createe sunt? Respondet creaturas, quatenus a Deo factæ sunt, esse bonas et pulchras; quatenus vero in seipsis subsistunt, vanas esse, et ad nihilum. ex quo a Deo per creationem eductæ sunt *ἐκ τούτου*

sua inclinare et vergere. Rursus vanas esse, quatenus homo iis abutitur, iis quasi summis bonis præ Deo, imo contra Deum cor suum affligens, ut iis fruatur seque exsatiat, cum solus Deus mentem hominis exsatiare queat, ideoque homo creaturis duntaxat uti, solo autem Deo frui debeat, ut docet S. Augustinus et ex eo Theologi.

ET MUNDUM TRADIDIT DISPUTATIONI EORUM. — *Campanensis, et mundum hunc totum exposuit examinandum ingenio illorum*; Hebraice est: *כלום נתתי בלבבם* *clom tradidit in corde eorum. Olim autem primo, significat absconditum quid, ab כלום alom, id est abscondit; secundo, perpetuum et æternitatem, cuius finis nobis absconditus est; tertio, sæculum et mundum, sive decursum temporum rerumque omnium in mundo, quorum limites et termini nobis absconditi sunt; Syrus vertit, essentialia mundi, id est naturam et substantiam mundi. Hinc multiplex oritur versio, et consequenter multiplex interpretatio.*

Primo, aliqui apud Titelmannum vertunt, *Deus tradidit absconitionem in corde hominum; absconitionem, id est ignoracionem mortis, hæc enim summe homini est abscondita; unde prima antithesi, vers. 1, posuit tempus moriendi, ad quod hic alludit, q. d. Mors cuiuslibet certa imminet, sed incertus est nobis ejus dies et hora; idque voluit Deus a nobis abscondere, ut vigilare nos doceret, sanctæque vivere, ut scilicet ita vivamus quasi quotidie morituri.*

Secundo, Cajetanus et David de Pomis vertunt, *perpetuitatis desiderium dedit Deus in corde hominum*. Quocirca nil inveniet homo in rebus terrenis, utpote caducis, quod hoc ejus desiderium satiet; sed ad Deum et cælum animum attollat oportet, ut in eo defixus æternitatis desiderata fiat capax et compos, continentem temporalia et sectando æterna. Et Didymus in *Catena Græc.*: « *Evum, inquit, dedit illis, hoc est æternitatis disciplinam et scientiam, i. e. regnum cælorum, quod intra nos esse Dominus pronuntiavit: quod dum multiplices perturbationum operitur atque obsiderit tumultu, non facile ab hominibus invenitur.* »

Tertio et optime, Septuaginta, Syrus et Arabiens vertunt, *et sæculum sive mundum tradidit in corde eorum*. Verum hic queritur, quid sit *in corde eorum*? *Primo, eorum, scilicet dæmonum, qui dominantur in mundo, ait Thaumaturgus, q. d. Deus mundum permisit diabolo cum assediis suis, ut in eo usque ad diem judicii dominetur, hominesque tenet. Unde a Paulo, Ephes. II, 2, vocatur « princeps potestatis aeris hujus, » et a Christo, « princeps hujus mundi, » Joan. XII, 31. Audi Thaumaturgum: « Omnia hæc mea sententia ad exagitandos homines aculeis tenentis armata sunt, et malignus dæmon, qui ab initio mundi usque ad finem nocendi semper est avidus, rite genti ero sæculum hoc circuit, et immoedice contendit, si qua occasione nata figmentum Dei perdere possit. »*

Secundo, melius alii eorum intelligunt hominum, de quibus hic omnis est sermo: nam dæmonum nulla facta est mentio. Jam quia cor sedes et symbolum est multarum rerum, scilicet primo, amoris et oblectationis; secundo, voluntatis et domini; tertio, electionis; quarto, disputationis et examinis: hinc multiplex hic oritur sensus. Aliqui ergo sic exponunt, q. d. Deus quidem creavit mundum, et omnia que in mundo sunt pulchra et bona, illaque tradidit cordi hominis, ut eorum amore, usu et gustu modeste et honeste se oblectaret; sed hominis cor iis abutitur dum totum se in illa effundit; ideoque rebus pulchris a Deo creatis seipsum deformat, et sordibus peccatorum conspurcat. Unde S. Hieronymus sic exponit, q. d. « Dedit Deus mundum ad inhabitandum hominibus, ut fruantur varietatibus temporum, et non querant de causis rerum naturalium, quomodo creata sint omnia, quare hoc vel illud ab initio mundi usque ad consummationem fecerit crescere, manere, mutari. »

Nyssenus vero censet hic significari, « unde-nam humana natura districta sit a bono et recto, videlicet occasione accepta ex divinis beneficiis: nam Deus quidem ad bonum fecit omnia, hominibus autem dedit rationem, qua discernant id quod est melius: malo autem consilio recedentes a ratione et tempore, id quod est utile vertunt in contrarium. »

Iis adde expositionem Vatabli, que talis est: *Omnia opera Dei bona sunt, et facta in tempore suo, et que in hoc mundo fiunt, id est negotia hujus mundi, id est cupiditatem et desiderium cognoscendi res hujus mundi, indidit menti hominum; et ita in hoc mundo negotiantur quasi semper victri sint.*

Tertio, alii cor accipientes pro voluntate et dominio, sic exponunt, q. d. Deus mundum adeo pulchrum condidit tradidit cordi, id est voluntati et dominio hominis, ut ejus esset dominus, princeps, et quasi rex mundi, ut ad libitum uteretur herbis, plantis, arboribus, animalibus, auro, argento, metallis, etc. Sed homo hoc dominio abusus, rebellis fuit Deo summo omnium domino, ideoque hoc dominium non quidem omnino illi adeptum, sed valde a Deo acisum et imminutum est. Hinc noster Pineda sensate sic exponit: Deus dedit mundum et sæculum, omnesque sæculi et temporis vanitates in corde hominis, q. d. Deus effecit hominem merocosmum et parvum mundum, ut illarum temporum varietatem et inconstantiam in seipso experiretur, ac præterea intelligeret nihil extra seipsum querendum esse, neque in externo alioquo bono ponendam esse humanam felicitatem, sicut scriptum est: « Regnum Dei intra vos est. » Quidquid ergo boni et tranquillitatis aut voluptatis concupiscis, noli extra te querere, sed in teipso et in corde tuo, cum perturbationes animi composueris, desideria clauderis, impetus effrenatos compeveris, ac externa

omnia contempseris; animi tui bona propria tua sunt, perpetua sunt, et tecum illa portabis ubicumque tandem esse contigerit: non item illa externa, que breviter desinent.

Quarto, alii accipiunt cor pro cordis, id est mentis electione, q. d. Deus mundum totum, omniaque contraria, que in eo sunt, tradidit electioni hominis, ut eligat in eo bona vel mala, prout ipsi libuerit, juxta illud Eccl. XV, 14: « Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjeit mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabit te, etc. Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. »

Quinto, optime Noster cor accipit pro cordis, id est mentis examine, disputatione, meditatione, disquisitione, cognitione. Horum enim officina est cor, sive mens; unde illud:

Cor sapit, et palato loquitur, fel commovet iram.

Idipsum evincit id quod sequitur: « Ut non inveniat opus quod operatus est Deus. » Disputaverunt enim philosophi, et etiamnum disputant de mundo, dum alii cum ex aquis, alii ex atomis, alii ex terra, etc., conflatum dixerunt. Hinc totorum sectæ, Academicorum, Stoicorum, Scepticorum, Peripateticorum, etc. Adeoque quot sæpe philosophi tot sunt diversæ de mundo, cælis, stellis, ventis, etc., opiniones et sententia.

Porro duplici disputationi hominis mundum tradidit Deus, scilicet intellectus et voluntatis, cognitionis et electionis, speculationis et affectus.

*Primo enim, Deus mundum quasi pilam pulchram obiecti obtulit hominum, ut ejus, rerumque in ea contentarum, puta cælorum, elementorum, ventorum, plantarum, animalium, etc., naturas, proprietates, vires, actiones, æque ac temporum varietates jam recensitas scrutarentur, itaque in iis agnoscerent laudarentque Dei creatoris pulchritudinem, sapientiam, beneficentiam, potentiam, ac in rebus agendis tempus cuique rei gerendæ a Deo destinatum et accommodatum disquirerent et captarent. Ita Didymus, S. Hieronymus, Titelmanus et Franciscus Valesius, *Sacra Phil.* cap. LXIV et LXV. Porro Olympiodorus censet permisisse Deum, ut circa mundum sint solliciti et occupentur sapientes mundi hujus, ne si assidue et tranquillo animo attendissent ad fabricam et structuram mundi hujus, perspecta et cognita illius pulchritudine, visibilia hæc Deum esse vel deos arbitrarerent. Item dedidit omnibus filiis hominum sæculi presentis cognitionem, quod nempe cuncta esse ceperint ac desitura sint. Eorum vero, que ante initium temporis fuerunt, quæque post hoc sæculum futura sunt, certam et manifestam scientiam non haberi.*

Nyssenus vero et Hugo censent mundum a Deo datum disputationi, id est contemplationi et moderatæ investigationi hominum, sed ab eis per abusum evasisse materiam et objectum curiosæ

noxięque disputationis et disceptationis, tam varia, tam multa, tam absorta, tam temeraria, tam impia de conditore ipso, de prudentia, et iudicis ipsius, de felicitate, etc., inquirendo, disceptando, iudicando, et interita ad exactam rei quoque cuiuspiam naturalis notitiam vix ac ne vix quidem perveniendo ex omnibus, quas fecit Deus a principio creationis, ac deinceps usque ad finem.

Secundo, Deus tradidit mundum disputationi hominis, ut homo secum disputans et ratiocinans de vanitate mundi, deque temporum rerumque omnium temporalium successione, rotatione et transitu, atque ex alia parte de Dei veritate, constantia, eternitate et omnimoda perfectione, inde concluderet sibi quę diceret: Ergo cor tuum et amorem aveca a mundo, et transfer ac dirige in Deum: ille enim solus immensus tuum sciendi et amandi desiderium saturare et beatum potest. Hoc enim sine mundo a Deo creatus hominiquę traditus est, ut per mundum transcenderet ad mundi opificem, in eoque omnes suas res et spes defigeret, itaque stabilem quietem et felicitatem perpetuam nancisceretur. Quocirca Nyssenens: « Qui cumque illis, inquit, qua acceperunt, non ut oportet ad utilitatem usi sunt, non invenerunt opus Dei, quod fecit Deus ad scopum utilitatis, ab initio creationis usque ad universi consummationem, cum in his que sunt, nihil sit mali. »

UT NON INVENIAT HOMO OPUS QUOD OPERATUS EST DEUS A PRINCIPIO USQUE AD FINEM. — *q. d.* Tradidit est mundus disputationi hominum, ut videntes Dei opus tam pulchrum, tam sublime, tam perfectum et consummatum, non inveniant, id est invenire nequeant intimas eius dotes et perfectiones, quę illi plurimę insunt « a principio usque ad finem, » id est a capite ad calcem, ab imo ad summum, a fundamentis ad tectum, a centro terre usque ad culmen cęlorum; sed de illis iugiter disputent, et infer se disceptent: quo fit ut cogitant hoc opus admirari et obstupescere, ac multo magis ejus opificem Deum, qui hanc mundi admirandę machinam, velut palatum magnificentissimum omnibus suis numeris absolutum exadificavit, ac summum illi fastigium imposuit, manumque extremam addidit, ut ex hac admiratione omnes ad ejus amorem, venerationem et cultum repererunt.

Secundo, alii contrarie exponunt, *q. d.* Deus mundi opera notuit cedere plena et omni ex parte perfecta, ut omnimodam in eo consummationem non inveniret homo, ideoque his mentem non affigeret, sed ad Deum assurgeret, in eoque suam felicitatem constitueret. Non inveniet ergo homo hoc opus perfectum et utile, cui non aliquid perfectionis desit: non enim voluit Deus sua opera « ab initio usque ad finem, » id est ita perfecta, ut non aliquis illis desit numerus; nihil voluit esse perpetuum, et omni tempore utile ab initio usque ad finem, sed suo tantum tempore, id est brevi et prescripto. Ita Pineda.

Tertio, alii per interrogationem affirmative explicant, *q. d.* Quomodo non inveniet homo hoc Dei in mundo opus? imo vero si diligenter illud consideret, inveniet utique illud perfectum et numeris suis absolutum a principio usque ad finem, ut nihil uspiam ei desit. Rursum inveniet idipsum a principio usque ad finem, id est semper et omni tempore qua singulas ejus partes et membra perillustravit, ac singulorum naturam, usum et utilitatem attentius perpenderit.

Verum primus sensus est genuinus, ut patet ex sequentibus; sic enim explicat Salomon, vers. 14 (1).

A PRINCIPIO USQUE AD FINEM. — Hoc est penitus, ait Cajetanus, qui id refert ad *inveniat, q. d.* Tradidit Deus mundum disputationi hominum, ut homo penitus ejus proprietates et condiciones, eorumque causas et effectus invenire nequeat, ideoque jugiter velut dubius de his disputet. Vatablus vero, ut non inveniat a principio usque ad finem, id est, inquit, ut omnia que in mundo sunt perfecte et intime cognoscere et penetrare nequeat, pervadendo ea a principio usque ad finem. Chaldaeus, ne innotescat viro a principio, quid futurum sit in fine dierum usque ad secula seculorum. Adiditque, dies etiam extremas mortis eos latuit, ne homini exploratum esse possit, quid a capite ad calcem eventurum esset. Cai accedit Bonaventura et Carthusianus, a principio, inquit, vitę hominis usque ad mortem, seu per totam vitam.

Melius alii referunt ad opus, eo sensu quo paulo ante dixi, *q. d.* Opus Dei, puta mundus hic adeo pulcher et perfectus creatus est, a sui principio usque ad finem, hoc est a primo creationis die usque ad sextum et ultimum, *Genes. 1.* ut ejus pulchritudinem, harmoniam, connexionem, perfectionem homo invenire et comprehendere nequeat, imo ut « a principio usque ad finem, » id est a prima, id est minima et vilissima creatura usque ad ultimam, id est nobilissimam et prestantissimam, nullam, ne minimam quidem, plene per-

(1) Ex recentioribus Rosenmullerus, *eternitatis sensum, invisibilem animis coram*, hoc est, Deus invisibilis homini propositionem et facultatem, tam que longe antea venerunt, quam que futuris temporibus sint eventura, perpenderit, eorumque causas et rationes pervestigandi: absque eo tamen quod inveniat homo opus quod fecit Deus ab initio usque ad finem, id est, neque tamen perspicere valeat que Deus fecerit inde a principio hujus rerum universalitatis, neque *q. d.* sit facturus ad ejus usque finem, neque cur aut quomodo hoc aut illud fecerit. Minus ap'e ad nexum Gesenius aliam intelligit de rerum mundanarum studio (quod Gersonius vocat *Weltstudium*) et interpretatur, omnia pulchra fecit Deus tempore suo, quęquam cordi eorum (hominum) addidit, seu inserit mundanarum rerum studium: ita ut non intelligat homo opera Dei, etc. Sed præcipue Maurer, qui ita explicat: Non modo omnia fecit Deus pulchra, bona tempore suo, tempore justo et opportuno, etiam, insuper mundum deit in cor eorum, hominum: mundum, id est totius mundi libam, seu *μυστικὴν, Inbegriff der Welt*, hoc est, facultatem res mundanas cognoscendi animo hominum dedit, absque eo tamen quod penitus et perfecte aliquid investigare et cognoscere possit.

spicere et penetrare valeat. Quis enim comprehendat naturam dotesque omnes muscæ, culicis vel pulicis? nimirum:

Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Ver. 12 et 13.

12 et 13. ET COGNOVI QUOD NON ESSET MELIUS NISI LETARI, ET FACERE BENE IN VITA SUA. OMNIS ENIM (1) HOMO, QUI COMEDIT ET BIBIT, ET VIDET BONUM (id est fruitur bono) DE LABORE SUO, HOC DONUM DEI EST. — Hebręa, et scio non esse melius in eis (mundi operibus et creaturis), quam letari et facere bonum in vita sua; Vatablus, cognovi quod nulla hominibus sit felicitas in eis, nisi ut gaudeant et beneficiis afficiant proximis. Didymus in *Catena Gręcor.*: « Cognovi sane res per seipsas nullam vel bonitatem vel felicitatem continere, sed ipsas rerum rationes, id est scientiam atque veram illarum notitiam, propter quam naturam gaudere rationalem comparatum sit, atque ipsum beneficiendi exercitium hoc eodem bonum, faustum felixque hominibus est. Nihil enim sic nutrit et adquat animam, quemadmodum virtutis pabulum scientięque fluenta. »

S. Bonaventura hæc accipit dicta ex mente et persona non Salomonis, sed insipientium et Epicurorum. Verum Thaumaturgus, S. Hieronymus, Albinus, S. Augustinus, uterque Hugo, Lyranus, Cajetanus, Vatablus, Titelmannus et ceteri omnes hæc accipiunt, ut dicta ex persona Salomonis, idque verba ipsa plane significant. Sensus ergo est, *q. d.* Ego Salomon contempnans partim rerum instabilitatem et vicissitudinem, quam successio temporis continue affert, ut dixi initio capituli; partim curiosam, molestam, inutilem hominum de mundo disputationem, cum impossibile sit res judicari penetrare et comprehendere, saltem esse judicari modeste uti creaturis, secundum stata cuique tempora, quibus a Deo ad fruendum nobis offeruntur, atque in eorum moderato usu et gustu honeste me oblectare, itaque vitam agere in honesta lætitia et bonis operibus, quia hoc est voluntas Dei, cujus proinde donum est frugaliter rerum creaturarum usus, nec lasciviendo per abusum, nec fraudando genium per sordidam avaramque parcimoniam. Vide dicta cap. II, 4. Repetit enim hic et inculcat quod ibi dixit. Lætitiam hanc opponit afflictionis spiritum, quam affert cupiditas, et labor rerum humanarum, uti sapius dixit.

Allegorie: Nihil est melius quam comedere carnem, et bibere sanguinem Christi in Eucharistia. Ita S. Augustinus, lib. XVII de *Civit. xx.* ubi contendit hunc sensum esse litteralem. Nam Salomonem, inquit, « non sapere carnales epulas voluptatis satis illud ostendit, » ubi ait (cap. vii): « Melius est ire in domum luctus, quam ire in domum potus. » Et paulo post: « Cor, inquit, sapientium in domo luctus, et cor insipientium

(1) Pro enim et habr. melius verto, atque etiam.

in domo epularum. » Verum has gnomas suis locis ad litteram explicabo.

ET BENE FACERE. — Hęc vox tria significat: *Primo*, felicitate vivere, jucunde et hilariter vitam agere, quod gręce vocant *εὐφραίνω*, ut sit fore idem quod letari. Sic hic accipit Aben-Ezra, *facere bene*, inquit, est frugali usu honorum se exultare; et Campensis, *exultare*, inquit, esse, bene facere sibi dum vivit; et Bonaventura sic distinguit: « Letari, inquit, in fruendo, et facere bona delectabilia operando. » Verum cum hoc vult significare Scriptura, addere solet quippiam, ac dicere: facere bene sibi vel anime suę.

Secundo ergo melius alii per facere bene censent notari beneficentiam. Ita S. Hieronymus: « Habentes, inquit, victum et vestitum, his contenti simus: et quidquid supra habere possumus, in pauperibus nutriendis et egentium largitione consumamus. » Et Didymus in *Catena Gręcor.*: « Cognovi, inquit, animi tranquillitatem et beneficentiam maxima homini esse bona. » Et Moringus: Cognovi, ait, nil melius quam bona concessa in honestos usus convertere, dum vita suppetit, primum in modestam sui tutelam; mox, si quid superest, in largitiones pias et alienas necessitates erogare, juxta illud Pauli, imo Christi: « Beatus est magis dare, quam accipere, » *Actor. cap. xx, 35*, vide ibi dicta. Nihil enim tam divinum quam benefacere, omnesque beneficiis sibi devincere. Sic et Vatablus, Arboreus et alii. Sapienter ex Heraclito Maximus, serm. de *Beneficentia*: « Opportuna beneficentia, ait, quasi cibus fami conveniens, animi indigentiam (ex avaritia, sacram, inquam, illam auri famem) sanat. » Quin et Plutarchus, lib. de *Suaviter vivendo secundum Epicurum*, ex ejus mente asserit, suavius esse afflicti malificio et injuria, quam eodem alio affici. Et Seneca, lib. III de *Beneficiis*, cap. xv: « Generosi animi, ait, et magnifici est, juvare et prodere; qui dat beneficia, deos imitatur. »

Tertio plene et optime, « facere bene » idem est, quod ex virtute operari, facere quod honestum est, Dei legem implere. Hoc enim significat facere bene vel bonum, *Psal. xxiii, 15*: « Divertere a malo, et fac bonum; » *II Paralip. xxiv, 16*, et alibi. Ita Thaumaturgus, *Persuasum habeo*, inquit, *maxima hominis bona esse, iustitiam mentis, et bonorum operum actiones*; et Chaldaeus, dixit Salomon rex spiritus prophetice: *Perspectum mihi est, nihil aut melius aut prestantius hominibus datum, quam ut quidam legis scēptis recreent, totamque vitam optimis operibus transigant*. Sic et Nyssenens, *Olympiodorus* et alii.

Apte necesse hæc duo, scilicet letari et bene facere, ut indicet non esse veram lætitiam, nisi in bene faciendo; adeoque causam vere lætitię esse, bene semper agere. Vis ergo semper letari? Semper bene agito: sic enim semper eris lætus. Non enim est lætior mens, quam que sibi conscientia recti: lætior, inquam, « nunc quidem deus